

ALEXANDRI JULII EDINBURGENI SCOTO-BRITANNI POEMATA SACRA.

Quorum indicem ſequens pagina continet



EDINBURGI,
Excudebat THOMAS FINLASON. Typographus
Regiæ M, 1614.



Index poematum ſacrorum.





SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE REGI MAGNAE BRITANNIAE FRANCIAE & *Hiberniæ JACOBO fidei Christianæ defensori*, domino suo benignissimo, gratia & pax *sempiterna à Domino Iesu.*



VM nemini de paterna DEI cura in Ecclesiam, & singulos vera fide præditos recte sentienti dubium esse possit, Deum Opt. Max. perpetuam propugnationem suscepisse pro tua, Rex clementissime, unius potissimum salute, inde ab ipsis incunabulis tot tantisq; periculis defuncti, de cujus conservatione cum bonorum omnium incolumitate conjuncta, pij omnes solicite laborant; cum pro publica etiam tot florentium regnorum pace, pro omnibus deniq; ornamentis tuis constet DEVM in jam suscepta defensione constanter permanere, contra nefandam Idumæorum gentem, impios dico Jesuitanæ conjurationis furores & socios, crudelitate plusquam ferina Hesavum genus suum Deo exosum referentes; Contraq; Babylonium illum Nebuchadnezarem regum puræ pietatis studiosorum, & populi Dei, veriq; & Christiani nominis sempiternum hostem, quem Deus tandem in se contumeliosum spiritu oris

sui

sui confectum fore minatur; Paraphrases has Prophetiarum Hobadiæ & Chabakkuki *ab hoc argumento non alienas (productiores fortasse, sed tamen ipsius Scripturæ veritati congruentes) obliuione pene sepultas cum in manus meas incidissent reviviscere volui, & in tuæ M. nomine in lucem proferendas censui, partim promissiones illas quidem amplissimas complectentes de salute Jacobi seu Israelis Deo chari, & propagandis ejus imperij finibus: partim sceleratos hostes minis gravissimis insectantes; ut harum lectione diligenti, et sancta meditatione in spem firmam divinæ defensionis tam ab externa illa quam domestica impietate, & hostium inhumana violentia, deinceps in perpetuum tecum pij omnes inducti, cum animis suis serio & sedulo cogitent quantam tecum divinæ providentiæ gratiam debeant, in hoc exiguo & tam brevi vitæ curriculo tanta benignitate mirandum in modum pro salute tua Rex clementissime, tuorumq; omnium excubanti: ut Jacobus victoriam in optima spe habens proposito Jacobi seu Israelis exemplo ad imitandum, præclarum quod instituisti opus, & jam in manibus habes (bellum illud dico sacrum cum impiis Idololatris susceptum cæde atq; incendiis orbem terræ vastare cupientibus) tantisper continuare velis, dum Deo authore & propitio ex incæpto fæliciter peracto voluptatem sempiternam percipias, & quam de te expectationem vatum oracula divino instinctu & afflatu jamolim edita concitarunt eam te mi Rex, sustinuisse fælici rerum eventu perspicue inter omnes constare posit. Atq; hoc unum cum summæ obseruantiæ testificatione, qua T. M. semper coluimus, nec aliud quicquam*

quam nos hîc ſecutos omnes non inique de nobis exiſtimantes cum animis ſuis ſtatutum habere volumus. Huc acceſsit etiam illa prophetiarum omnium clauſula Maleaci prophetia acerbiſsimas conteſtationes paucis complexa, adverſus graviſsima quædam Iſraelitarum crimina, quæ in Rep. & Eccleſia bene conſtituta minime ferenda ſi graſſentur, authoritate utriuſq; tabulæ cuſtodis mature reſecanda ſunt, ne pars ſincera trahatur Cum mala per longas convaluere moras. *Adjecimus præterea tria Jeſaiæ Cap. cum paucis opuſculis tanquam munuſculis T. M. etiam concinnatis: Atq; hæc omnia judicio & induſtria minus elaborata, nec pro majeſtate Regia ſatis polite limata, tametſi ſacroſanctis tanti tamq; benigni Regis, oculis & auribus minime digna videantur, in eam tamen partem accepta fore ſperamus, ut ab ingenuo pudore quaſi anſeris inter olores ſtrepentis ab animo benevolo, ac mirifico tui mi Rex, tuorumq; iſtic deſiderio flagranti profecta. Quam ego libenter diem illum videre cupio, cum mihi multo jucundiſsimo conſpectu rerum mihi iſtic chariſsimarum per Dei voluntatem frui licebit. Pacato enim & ſimplici ingenio partes has non ſine magnis difficultatibus tenendas eſſe multos jam annos nobis nimis compertum & exploratum eſt, coactis alio ſub ſole terras novas & peregrinas quærere propter nonnullorum inſolentiam & noſtri inſectationem; quos ego tamen tum divina gratia tum recte factorum conſcientia fretus, vel amicos vel inimicos habere non curo: Multa quoq; hic perinvito degenti, & injurias jure non propulſanti mihi ipſi injurio toleranter ferenda ſunt, quæ cum non ſit hic narrandi locus*


cus

cus suo tandem tempore, nisi consilio mature provideantur in medium proferentur. Valebis mi Rex serenissime, & vives memor divinæ erga te benignitatis & clementiæ.

T. M. benevolentię maximo
semper vinculo obstrictus
A. Julius.

Ad JACOBUM magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regem serenissimum, dominum suum clementissimnm,
Alexandri Iulij Epigramma.

DOna salutatis tulit officiosa vetustas
Regibus, obsequij ceu gratæ & pignora mentis;
Hîc tulit aurato sine quæstu sedula sceptro
Grammatice steriles tenui pro munere musas,
Non animi sed opum pauperrima, sola tenellis
Omne viro soli pueris, & congrua parvo
Dans precio venum formandæ dogmata linguæ:
Attamen hæc Regis placido clementia vultu
Non feret ut crasso levidensæ munera filo;
Sint licet hîc tenuis tantum donaria Musæ,
Non tamen in tenui labor est; oracula vatum
Cum capiant Regem cultu donata latino,
Regem musarum comitatum & sacra colentem;
Cui toties Clario vel numine digna locuto
Et numeri vacuo curis, & carmina cordi;
Quem mea, dum genio modo liberiore fruatur,
Ingenij fœtu colet uberiore Thalia.



PARAPHRASIS
PROPHETIÆ HOBADIÆ.



Rbiter ætherius tandem placatus amico
Lumine, res populi miseras respexit egenis
Gentis Idumeæ memor, alta mente repostas
De solio sontum vitas, & crimina pendit.
Diditus hæc longe lateque per omnia rumor
Pertulit ad nostras eadem celeberrimus aures:
Insuper externæ longinqua per oppida gentis,
Nuncius alta ferens mundi mandata parentis,
Sic formidandam rumpebat pectore vocem:
Eia agite, horrendo queis bello est vivida virtus,
Surgite, & arma viri, tanti ductoris in hostem
Auspicio, ferte arma, doment quæ bella merentem.
2 Non satis in pænas vnam sine nomine gentem,
Et numero exiguam mea dextera reddet Idumen
Iova ait, invisam, sancta nec origine dignam.
3 Pone supercilij fastum, compone feroces
Dehinc animos, male-cauta tuis falleris Idume
Consilijs confisa malis, & in ipsa minante
Sidera prærupto montanę culmine molis:
Nam tua quas habitas, spes & munimina cautes,

Celsaque petrosi & turrita cacumina montis,
Tuta nec infando sunt propugnacula bello,
Nec facilem rumpi accessum prohibere valebunt.
Ergone magnificis sic astra lacessere verbis
Grandiloquæ toties audet petulantia linguæ?
Quæ vis tanta loco tutos ab acumine rupis
Aeriæ in præceps tanto molimine dextrę
Vrgeat? aut summa actutum deturbet ab arce?
4 Terrarum sator, & magni regnator Olympi
Talibus ora modis in verba minantia solvit:
Densa licet celsum caput inter nubila condas
Templa Poli stellata petens, pernixque feratis
Alitis armigeri magni de more Tonantis,
Detur in ætheriis posuisse cubilia campis:
Inde tamen stygii volveris ad ima barathri
Numinis ira, alta terra & caligine mersa.
5 O quanta perculsa occumbes strage? tremendę
Funera quanta dabunt iuvenumque senumque coronæ
Hostiles? quantamque trahent quassata ruinam
Mœnia? dum patriam populi populantur opimam
Indomiti, haud furtim furum de more per vmbras
Prædam asportantum, aut vigilum de nocte latronum,
Vinetive velut generosæ fertilis uvæ
Prædator, nondum plenis vindemia labris
Cum spumat: verum vilem redigeris ad assem
Extemplo, ad puri radiantia lumina Phœbi,
Prorsus & exhaustis squalebunt rura racemis.
6 Neve profunda hostem fallant penetralia rupis,
Per vicina astris, adituque carentia saxa,
Perque iter insuetum belli commercia rumpent
Aeria, & in latebras flectent vestigia cæcas:

Vnde

Vnde ferant secum congestæ scrinia gazæ.
7 Nusquam tuta fides fuerit, socialia frangent
Vincula iurato iunctæ tibi fœdere gentes:
Dulcia dum patriæ exilio mutaris acerbo
Arva tuæ, ex patriis abigent crudeliter oris:
Quique prius placidę pepigerunt fœdera pacis
Fœdera sanguineo mutabunt rupta duello:
Quique simul lautæ tecum inter pocula mensæ
Tum sale, tum socia exhilarant convivia voce,
Consilii arcani testes, heu vulnera tota
Tanta ferent terra, eheu tanta cæde piabunt
Arva tui Themanita soli, vt solertia mentis
Humanę, vt Divini acies stupefacta tuentis
Ingenii, ipsa perstringatur mole malorum,
Nec queat erumpendam in te comprendere cladem.
8 Sic erit vt merita demerserit vna ruina
Improvisa dies sapientum corda tuorum,
Fractaque conciderit prudentia longa senectę.
9 Hic animis præstans, præstantes corpore & armis,
Robora selectę passim prostrata iuventæ
Occumbent, donec sylvæ succisa propago
Sic ruat infælix, exorti vt stragis acerbæ
Fungier haud vlli contingat munere vitæ.
10 Nec minus infami confundet labe ruboris
Ora pudor, genus exitio sine fine superbum
Cum datur, & clarum extinguent oblivia nomen
Gens æterna tuum, semenque a stirpe revulsum:
Quod neque dirum animum cognati sanguinis arcta
Vincula, nec pietas fera pectora mulserit, ipsos
Quominus in fratres effusis grassatus habenis
Sit furor, & madidos cognata cæde Penates:


Quominus hos illosque aditus, omnemque pererrans
Arte locum, imbelles variisque assultibus vrgens
Injicias dextram trepidis, spolioque, sub armis
Cum procul a notis exercitus advena terris
Sedibus ex patriis abigens consortia trudit
Corpora, vt exilij patiantur tædia longi,
Vinclaque captivas arctent servilia palmas.
Si peregrina manus Solymçæ limina portæ
Perrumpens, occæpit ovans sibi ducere sortem
Et prædæ, & populi, cujus ceu grata peculi est
Cura mihi, tu horum pariter pars magna fuisti.
12 Damna dehinc oculis absiste haurire malignis,
Fratris damna tui, neu læto lumina vultu
Pasce malis, patria de pulso sede triumphans.
Nulla hinc materies, nulla hinc tibi surgat origo
Lætitiæ, tremulo neu torquens ora cachinno
Vocibus illudas Iudæ petulanter amaris
Pignora, si quando per gentes sparsa feroces
Perditaque in tenebris luctu & squalore jacebunt.
14 Parce maligna sacræ contingere limina sedis,
Parce aditus Solymæ plantis scelerare profanis,
Lumineque hostiles sicco spectare rapinas,
Et capere & captas portarum e limine prædas
Convectare humeris, & longo parta labore,
Dum tibi coguatam violat gens extera gentem,
Afflictatque humilem misere calcatque jacentem.
14 Non satis est vrbem media de gente Sionis
Exedisse odiis? cineres atque ossa peremptæ
Insequerere? trahas populum pænamque per omnem
Relliquias hostis tenues? nec dum ante malorum
Deposito terrore, minæ jactentur acerbæ?


Hostibus

Hostibus hinc inde obsessas fuge prodere sęvis.
15 Iam decursa aderunt pleno stata tempora circlo
De solio gentes in jus qua iure citabit
Arbiter æternus meritas accensus in iras,
Vt det ad exemplum vindex examine iusto
Damna tuum, meritoque tibi commissa luenti
Supplicio, cladem miseranda clade rependat,
16 Nam soboles Hebræa sacro cum in vertice mon-
Spumātem, & gelido mistum cratera veneno (tis
Vindice flagitij summo libaverit ore:
Hinc pariter gentes mundi sub vtroque iacentes
Axe bibent, hinc purpureo exhaustoque falerno,
Perniciem sine fine trahent de fæce veneni.
17 Interea secura colet gens alta Sionis
Mœnia, gens asserta mihi de limine lethi,
Iugeraque antiquis veterum descripta parentum
Finibus, & veteres hæredia priva coloni
Accepta Isacidæ longa ditione tenebunt.
18 Et veluti stipulam torrentis pabula flammæ
Corripit ignis edax, pariterque incendia vires
Non priùs indomitas ponunt, alimenta levem quam
In cinerem, volucremque fluant circundata fumum:
Sic Iacobææ stirpis generosa propago
Sæviet immissis tanquam Vulcanus habenis,
Hæsavi ambustura feram cum semine prolem:
Sic quoque Iosephi candens vt pruna nepotes
Gente in Idumæa rapient ceu fomite flammam:
Dum silva accenso iam tota crematur ab igni:
Nam Deus hisce minis exasperat ora severis.
19 Tum domus Isacidum veteris confinia regni
Iure sui regni magna ditione tenebit:

Qui eque premit crepitans nebulosi sibilus Austri,
Quorum sceptra tenes palmarum dives Idume,
Quæque Palestinas claudunt confinia terras:
Arva Palestinæ gentis, camposque virentes
Imperio reget, Ephræmi, Schomronis & arvis
Iura dabit latis, capiet cum Gillade læta
Prædia Binjaminis tranquilla in pace colenda.
20 Numinis auspicio vt patrias remearit ad oras,
Vt generis fuerit lapsi reparata ruina:
Sarphata Sidoni fæcundæ murice & ostro
Cognata, Arctoi spectat quæ sidera coeli
Imperia abscindet, Cananæo hæc subdita sceptro
Olim, & Iuda domum externis revocatus ab oris,
Finibus antiquæ junctas ditionis habebit
Contiguas etiam terras confinibus Austri.
21 Quumque potens armis, ingenti & nomine numē
Relliquias populi immanis miserabitur, omni
Vi procul & tutas hominum de gente feroci
Asseret, & pœnis furias compescet Idumes,
Sceptra æterna sui, & sumet moderamina regni.

FINIS.






IN MY DEFENC
GOD ME DEFEND

